



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

XIX. De Disciplinâ psallendi. Psallere devotè studeas; útque æmula motæ  
Concordet voci mens, procul ite joci.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

24. vel 25. FEBR. 26. JUN. 26. OCTOB.

CAPUT XIX.

*De disciplinâ a psallendi.*

**U**bique credimus Divinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos; maximè tamen hoc finè aliquâ dubitatione credamus, cùm ad opus Divinum assistimus *b*. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta *c*: Servite Domino in timore *d*. Et iterum *e*: Psallite sapienter *f*. Et: In conspectu Angelorum *g* psallam tibi. Ergo consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis & Angelorum ejus esse; & sic stemus *h* ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ *i*.

a) *Seu debito modo, vel ritu.*

b) *Quia tunc in domo Dei sumus, in quâ Deus specialiter inhabitat, ut patet ex l. 3. Reg. c. 9 & presentamus nos Deo, quasi facie ad faciem cum eo loquentes, ait S. Bern. in Serm. de 4. mod. orandi.*

c) *David, Psalm. 2.*

d) *Aptè*

- d) Aptè omninò ad propositum; quia precipuum servitutis nostræ pensum est Opus Divinum.
- e) Psalm. 46. sequens verò habetur Ps. 137.
- f) Quod fiet, si observentur ea, quæ adducit Ceremoniale Monasticum Parte 1. cap. 10. præsertim ex S. Bernardo.
- g) Vidit enim aliquando idem S. Bern. singulos Angelos singulis adstare Monachis; & hos quidem auro, illos argento, alios atramento, alios aquâ scribere, quæ psaldebantur; nonnullos verò omnino nihil.
- h) Statio quippe ex Ss. PP. est mentis in Deum elevata indicium.
- i) Insinuatur hîc requisita ad psallendum attentio: quamvis autem sufficiat virtualis, & ad verba tantum, vel ad res, quæ perceptuntur; Melior tamen est actualis & ad sensum verborum, tum literalem, tum spirituales: Et hanc urgere videntur verba prædicta.

25. vel 26. FEB. 27. JUN. 27. OCTOB.

CAPUT XX.

De Reverentiâ Orationis.

Si, cùm hominibus potentibus volumus